

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6839

Autre(s) référence(s) : Round 453

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1161]

Lieu d'émission : Caen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale des biens de l'abbaye Saint-Étienne de Caen.

Tableau de la tradition

Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1835 (3).

Éditions principales

a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatiiis et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 628-638.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CLIV, t. 1, p. 267-286.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 453, 1281.

Dissertation critique

Souscription du chancelier Thomas prouvant que la pièce est au plus tard de 1161. Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 1, p. 268.

Texte établi d'après b

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis totius Anglie et Normannie, salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse Deo et Sancto Stephano de Cadomo et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute anim# me#, patris ac matris, uxoris, filiorum ac parentum meorum et antecessorum, quicquid rex Willelmus, proavus meus, vel rex Henricus, avus meus, #cclesi# predict# dederunt et concederunt, sicut cart#

illorum testantur, et quicquid rationabiliter tenuerunt tempore regis Henrici, avi mei, vel Willelmi, proavi mei, et quicquid datione vel emptione seu commutatione vel quibuscumque rationabilibus modis adquisiverunt temporibus illorum et meo. Quare vol et firmiter precipio quod illa omnia teneant bene et in pace, libere et quiete et honorifice, cum omnibus pertinentiis suis, in bosco et plano, in pratis et paschuis, in viis et semitis, in aquis et molendinis, in piscariis et in omnibus rebus, cum omnibus libertatibus et dignitatibus et consuetudinibus, cum quibus melius et liberius tenuerunt tempore regis Willelmi vel regis Henrici, avorum meorum, et meo, scilicet Sceus, Ros, Alamanniam, cum membris suis, scilicet Stavell[is], Icio, Fulberthfolia, Borgesbu, Bracio, cum terra quam ibi tenuit Willelmus de Landa, et in Goisberville, Pontem Dive, Cathburgum, partem quoque burgi in qua prefatum monasterium constructum est, a muro in directum, occidentem versus, sicut via protenditur, qua a veteri Beati Stephani monasterio ad urbem Baiocensem itur, et ea quoque via, qua itur ad Britivillam Sancti Michaelis, cum terris et omnibus consuetudinibus de eodem burgo ad me pertinentibus, excepto quod extranei mercatores de omnibus, qu# secunda feria ibi ement et venundabunt, tamdiu quamdiu thelonarius ad stationem suam sedebit et mercatores in communis mercato erunt, thelonum ministris qui majori burgo preerunt apportabunt, de singulis plaustriis et asinis qu# venalia ligna ferent, lignum unum. Villarium cum omni territorio suo, et de eodem hominum servitia, ut servientes mei qui ibi manent michi serviant et propter servitium monachorum servitium meum non remaneat. In magno quoque burgo domum Turstini Legrini, quietam ab omni consuetudine, cum tribus jugeribus terr#, et medietatem molendini quam habebat apud Montem Acutum, et domum molendini de Darnestal cum ipso molendino, et molendinum quod fuit Rainardi ; hec omnia quieta ab omni consuetudine, et de pratis juris mei tria jugera ad Hulmum, pratum de Berendac, preterea que ad supradictas villas, scilicet Ros et Sceus, pertinent ; alveum veteris Ulduni a villa Venuncio usque in Olnam fluvium, cum tribus molendinis in eodem factis ; terram Willelmi Pavoth, quam tenuit Cadomi et Clivill#. In territorio Cadomi, feriam trium dierum, ita ut quotiens quilibet horum trium dierum in secunda feria evenerit, totum mercatum magni burgi sit Sancti Stephani, et ecclesiam Sancti Nicholai liberam et quietam ; ecclesiam Sancti Audoeni de Vileris, cum tota terra quam dedit Milo Marescallus in maridagio cum filia sua Ærfasto in territorio Venuntii et Cadomi et Valcellarum ; totam terram cum pratis Osberni Masculi ; totam etiam terram quam tenuit Girardus Marescallus Cadomi, tam in aldio quam in foedio. Medietatem quoque ecclesie Sancti Michaelis, cum medietate decim# ad eandem ecclesiam pertinente, quam dedit cenobio jamdicto Radulfus presbiter ut monachus fieret, concedente Hugone de Grentemaisnil, de cuius foedio erat ; terram etiam Grentonis Haterel, quietam ab omni consuetudine ; terram quoque qu# fuit Guncelini presbiteri, et tria jugera terr# que dedit Odelinus Sutor pro prebenda sua ; domum quoque, quam dedit Rannulfus molendinarius, post obitum suum, cum duabus jugeribus terr#, qu# a Radulfo Infante emerat ; partem quoque terr# quam habebat Willelmus filius Harderedi, circa fossatum per quod naves ascendunt in hortum Sancti Stephani, quam emit ab eo Gislebertus abbas, et scissuram ejusdem fossati, quam emit idem ab eodem ; aliam quoque partem ejusdem terr# ultra fossatum, quam emerat ante Willelmus abbas ab eodem ad alveum molendini. Concedo etiam ut omnes naves in quibus res Sancti Stephani erunt vel famulorum monasterii, sive ips# res empte sint ad pontem Cadomi, sive undecunque advecte, secure et sine omni licentia ministrorum meorum et sine omni disturbance cujuscunque occasionis ducantur in predictum fossatum, et reducantur juxta commoditatem monachorum, res vero burgensium Sancti Stephani eodem modo ducantur et reducantur, non in navibus, sed in batellis ; homini quoque qui navem Sancti Stephani dicit concedo unam navem ire et redire sicut navem Sancti Stephani. Burgum autem, quod (sic) eidem sancto proavus meus dedit, concedo ut ita sit liberum, solidum et quietum, sicut habeo meum, et omnes consuetudines, quas habeo in meo, habeat sanctus in suo, nec prohibeat unquam aliquis mercator, undecunque veniat, cum omnibus mercibus vel negotiationibus suis venire in ipsum burgum, hospitari, aut redire inde secure et sine omni disturbamento meorum ministrorum, reddito ministris Sancti Stephani thelonio negotiationis su#. Similiter eant securi homines de eodem burgo, cum transierint mare, quicquid portent, et ubicunque illud accipient quod portent. Concedo etiam Sancto Stephano homines de Ros et de Ceus liberos, solidos et quietos ab omni exercitu et carrugio et gelth et collecta, ut expediti sint ad paranda et portanda cibaria et omnia alia necessaria monachis inibi Deo servientibus, et ut omnis qui aliquid ad proprium opus Sancti Stephani vendiderit quietus sit a thelonio ipsius rei quam vendiderit, et ad vendendum non attendat licentiam cujuslibet ministri mei ; eodem modo sit quietus a thelonio qui aliquid emerit de propria re Sancti Stephani vel famulorum monasterii, et cui datum fuerit aliquid de propria re ipsius sancti, si oportuerit eum transire per Cadomum, transeat libere sine omni impedimento theloni. Similiter sint quieti ab omni thelonio et consuetudine omnes qui sunt de proprio victu Sancti Stephani et clericis de Sancto Nicholao. In territorio Britiville concedo alodium quod Rogerius Calvus ibi tenuit, alodium quoque quod Lupus tenuit in Bilieto et in Walmereto, cum parte ecclesie ad eum pertinente ; centum quoque jugera terr#, qu# tenuit Hunfredus de Solariis in Grentivilla, in aldio, de proavo meo, quieta ab omni

consuetudine ; alodium etiam Rogerii de Borgesbu, in quo sita fuit domus sua, cum toto amaisimento suo, et VI. jugera alodii que tenuit Willelmus frater ejus in eodem territorio, quieta ab omni consuetudine ; et terram quam tenuit Godelboudus de Maigneo in Bracio, totum etiam alodium Anfridi de Polceio et nepotum ejus, quod est in Algia, tam apud Sanctum Petrum ad Ivos quam in aliis locis, quietum ab omni gravaria et bernagio ; et tres domos Odonis Sailultra, quas tenuit Baiocis et Cadomi, quarum due sunt quiete ab omni consuetudine, illa videlicet qu# est Baiocis et illa qu# est in castello Cadomi. Concedo etiam decem jugera terre, qu# tenuit de proavo meo in alodio Anfridus Bos in Cressetot ; concedo quoque alodium quod tenuit de proavo meo Hamelinus de Galemancia in Cambis, ecclesiam etiam et terram Hugonis de Matrevilla, quam dedit Hugo Civeii Sancto Stephano ; in territorio Cureleii terram Willelmi Camerarii ; in territorio Badventi vineam cum domo vinitoris, quam Hubertus Dapifer habuit ; in Barbefloth, duas mansuras terr# ; in territorio de Boseval, alodium Radulfi filii Anseredi ; in Vileriis et in Mara, terram quam ibi tenuit Willelmus Crassus. Concedo silvam de Malo Pertuso et de Torta Valle et de Foliday et de Caisneto, cum aquis et terris seu omnibus ad eas pertinentibus, hac conditione servata ut monachi ipsius cenobii ipsas silvas nullo tempore destruant propter ipsam terram colendam sive inhabitandam, retentis in meo dominio cervis, capreolis et apris silvestribus ; decimam de Fredernacho, servitium de terra quam Boselinus de Diva tenuit in Vileriis et Guarinville. Civitate Rothomagi, cellarium unum super Sequanam, quietum ab omni consuetudine, et habitantes in eo, quietos tam in terra quam in aqua per totam terram meam ; domum quoque cum viridario, quam dedit eidem cenobio, in eadem civitate, Bernardus filius Ospaci, et sex jugera prati qu# idem dedit ad Bathpalmas, et domum quam dedit Willelmus canonicus, filius Sueni ; in territorio Lireti, hospitem unum, cum terra sua, et quatuor arpentos et dimidium de vinea, et unam acram terre intra idem territorium ; in Audura fluvio, molendina duo, facta ita ut tantum spaciun de aqua remaneat liberum, quatinus quoquo modo aqua se habeat, convenienter possint per illud spaciun ascendere et descendere tam naves quam pisces. Commutationem confirmo quam fecit Gislebertus abbas Cadomensis cum Willelmo de Tornebu, de his qu# habebat Sanctus Stephanus in territorio Lireti pro eo quod habebat idem Willelmus de Tornebu in territorio de Lu, in comitatu Baiocensi, supra mare ; totum etiam alodium quod tenuerunt Osmundus Aculeus, Ricardus et Rogerus, in territorio Calvmontis super Divam, et etiam totum illud quod tenuerunt quicunque alodiarii infra leugam Pontis Div#. In terra Anglorum, in comitatu de Dorsetha, concedo duo maneria, unum quod vocatur Franthona, et aliud quod vocatur Biencomme ; in comitatu de Summersetha, in territorio Cruche, hidias X. terr#, et ecclesiam cum omni decima ejusdem territorii ; in comitatu de Wilthesira, ecclesiam de Cosham cum omni terra et decima ad eam pertinente ; in comitatu de Norfolch, manerium quod vocatur Welles, quod dedit predicto cenobio Willelmus de Scoeiis, cum ecclesia de Morthona et terra, cum decima eidem #cclesi# pertinente in Essessa ; in comitatu de Essessa, maneriolum quod vocatur Panfella, et in Lundonia quandam terram qu# fuit Leivreth, sitam prope #cclesiam Sancti Petri, quietam de gelth et scoth et de omni alia consuetudine, qu# dedit Walerannus Filius Rannulfi, cum decima totius terr# su# quam habuit in Anglia ; in Henreth, terram quam Sanctus Stephanus habet ibi de f#dio Marmiun. Confirmo, concedo et corroboro et redbo Notham, quod, situm in Devenessira, Mathildis regina in infirmitate qua defuncta est, dedit eidem cenobio, ita solidum, liberum et quietum, sicut ipsa tenebat, et cum omnibus appenditiis et consuetudinibus qu# ad ipsum manerium pertinent. Concedo terram solidam et quietam, quam dedit Robertus de Grentemaisnil et Agnes uxor ejus Sancto Stephano in manorio Bernardi filii Ospaci apud Rothomagum. Confirmo etiam quod confirmat avus meus Henricus rex Anglorum, manerium scilicet de Briditona, situm in Dorsetha, Sancto Stephano, solidum et quietum, cum soca et saca, et thol et them, et cum omnibus aliis consuetudinibus ad idem manerium pertinentibus, pro redemptione anime su# uxorisque su#, necnon patris sui et matris omniumque suorum parentum salute. Hoc autem fecit partim pro corona ceterisque ornamentiis eidem coron# adjacentibus, qu# pater ejus moriens dimisit predicto sancto, partimque pro ecclesiarum excambitione terrarumque de Crucha videlicet et de Cosseham. Concedo etiam quod totum corredium et omnes res monachorum de Sancto Stephano Cadomi et servientium suorum dominicorum, quas poterint (sic) affidare suas res dominicas, sint quiete de theloneo et passagio et omni consuetudine, ubicunque venerint, sicut precepit avus meus rex Henricus, et prohibeo, sicut ipse prohibuit, ne monachi vel servientes eorum injuste disturbentur, super X. libras forisfactur#. Precipio etiam quod precepit avus meus rex Henricus, quod marescallus de Venuntio nullam faciat prohibitionem abbati Cadomi nec pratario suo de dominicis pratis falcandis, nec peccunias suas propter hoc capiat, nec aliquam injuriam vel contumeliam inde eis faciat. Et omnes homines qui venient ad feriam abbatis Cadomi de Sancto Laurentio, eundo et inde redeundo, firmam pacem meam habeant, et abbas habeat bene et plene omnes consuetudines suas, sicut rex ei concessit per cartam suam, et super hoc nullus mercatores illuc venientes vel inde redeuentes injuste disturbet, super X. libras forisfactur# ; et cellarium quod rex Willelmus dedit Sancto Stephano apud Rothomagum, super Sequanam, sit liberum et quietum ab omni consuetudine per totam terram meam et per aquas, sicut Sanctus Stephanus melius et liberius et quietius eum habuit tempore regis Willelmi. Precipio iterum quod tota terra Sancti Stephani de Beessino et de Oximis sit quieta et libera de gravaria, de operationibus et de omnibus aliis consuetudinibus, et ne homines Sancti Stephani vel peccunia in via molendini de Leisia capiantur, nec terra ejus, ubicunque sit, sine recto clamore exnammetur, nec dominica peccunia Sancti Stephani exnammetur pro alicujus debito vel forisfacto, nisi pro suo proprio. Clamo etiam quietam totam terram Sancti Stephani de operatione parci mei de Rothomago, et de carreio

vini mei de Argentiis, sicut clamavit quietam avus meus ; et terra et herbagium de bosco de Bavent sit in pace et in quietudine, sicut melius fuit tempore proavi mei, et abbas de Cadomo ita bene habeat et in pace teneat excambium suum, sicut excambiatum fuit adversus Willelmum Filium Arturi et ita habeat piscationem suam de aqua de Veim, sicut rex Willelmus habebat illam, vel ille qui tenebat manerium de ipso. Et mater ecclesia abbatis Cadomi de Alemannia non amittat quicquam injuste de parrochianis suis, nec de decimis, nec de oblationibus, nec de aliis rebus #cclesi# pertinentibus, propter dedicationem capelle de Stavellis, qu# in parrochia pr#dict# #cclesi# dedicata est. Confirmo quoque donationem quam fecit Radulfus filius Herberti Sancto Stephano de terra quam dedit in territorio de Bavent, et donationem quam fecit Gaufridus de Bosvilla Sancto Stephano, scilicet duas partes totius decim# de prefata villa, tam in blado quam in vino et sicera, et in aliis que decimam reddunt, cum una acra terr# in cultura sua ad granciam faciendam. Et donationem quam Willelmus Paganellus fecit Sancto Stephano, scilicet decimam de Fontaneto, ita solidam, liberam, integrum et quietam, cum una acra terr#, sicut antecessores sui melius unquam eam habuerunt, et donationem quam fecit Willelmus de Audreio Sancto Stephano de #cclesia de Locellis, cum elemosinis et beneficiis eidem #cclesi# pertinentibus. Et donationem quam fecit Gaufridus de Manneville de terra de Serovilla, quam antea fecerant Godefridus de Tilleio et Radulfus frater ejus, cum terra de Sancto Germano, et cum uno campo terr# in Veerrolis, de quo habebant unum sextarium frumenti. Confirmo etiam, sicut confirmavit avus meus rex Henricus, mercatum et feriam de Ceus, sicut Robertus frater ipsius concessit et propria manu sua affirmavit apud Sanctum Petrum de Diva, ut #cclesia Sancti Stephani firmiter habeat et in pace teneat. Item confirmo donum, quod fecit Willelmus proavus meus, scilicet omni anno in silvis suis duos cervos et duos capreolos ad festivitatem de inventione corporis ejusdem sancti, et quod Willelmus de Maigneo dedit in elemosina Sancto Stephano de foedio Roberti comitis Glocestrie, concessu ejusdem et Willelmi filii sui, scilicet duo molendina apud Montem Acutum. Concedo donum quod fecit Gislebertus abbas in foedium Hugoni de Rosel de terra quam pater ejus dedit Sancto Stephano, quando in eodem loco monachus ipse effectus est, tali conditione ut ipse Hugo inde faceret cum alio foedio, quod de eodem sancto tenet, conveniens servitium ; et ob hoc dedit idem Hugo Sancto Stephano in elemosina unam virgatam terr# et duas partes decim# de tota terra sua de Rosel et de Groceio. Convenit etiam idem Hugo quod ipsam decimam faceret ac domos reddi decimatori Sancti Stephani et eam adquietaret de omni calumpnia ; et de his supradictis foediis, scilicet de Grainvilla et de Groceio, fecit hominium #cclesi#. Confirmo donum de manorio de Veim, quod Willelmus rex, proavus meus, in infirmitate qua defunctus est, Sancto Stephano fecit, ita integre, solide, libere et quiete, sicut ipse ea die, qua defunctus est, idem manerium tenebat. Retineo tamen in manu mea thelonium alivum, thelonium vero residens cum guaita quietum et liberum relinquo et concedo predict# #cclesi#. Has autem supradictas villa, possessiones et terras cum colonis et condicionaris seu liberis hominibus, cum molendinis, aquis, pratis, paschuis, silvis seu omnibus redditibus et consuetudinibus ad eas pertinentibus confirmo et concedo, sicut in suo dominio habuerunt antecessores mei. Concedo etiam et confirmo quod Odo, dispensante Deo Baiocensis #cclesi# antistes, dedit concedente capitulo suo, cenobio Sancti Stephani, scilicet de his solis #cclesiis, domibus, terris, qu# prefat# abbati# dat# sunt ante dedicationem vel in dedicatione, id est de eo quod habebat ipsa die in Cadomo de toto villario, de tota terra quam Milo dedit fili# su# B. in conjugium Venuntio, de XII. jugeribus terr#, quam emit abbas Lanfrancus in eodem Venuntio de pratis qu# vendidit Willelmus de Corcellis predicto abbati de f#dio prefati episcopi de toto Ros, preter #cclesiam de toto Ceus cum #cclesia, de eo quod tenuit Grimaldus in Alemannia et in membris ejus, scilicet Stavellis, Icio, Fulbertfolia, Borgesbu, de domo Rogerii et dimidia acra terr# de Hoga, de eo quod tenuit Willelmus de Landa in Bracio, de toto Cadburgo, de burgo Dive cum antiqua capella usque ad pontellum qui dividit Baiocensem episcopatum a Luxoviensi, et de silvis de Malpertus, de Tortavalle, Folon[ia], Caisneto, cum terris et aquis et #cclesiis que eisdem silvis pertinent, de duabus molendinis in majori burgo Cadomi, de vinea, cum domo vinitoris, in Badvent, de eo quod tenuit Ricardus Goiz in Ruscavilla, de eo quod tenuit Willelmus Camerarius in Curleio, et de XII. jugeribus terr# quam Serlo monachis vendidit in eodem Curleio, de eo quod tenuerunt Robertus Bertram et Rannulfus vicecomes in Britivilla Orgul[osa], de IIIor domibus in civitate Baioc[ensi], una videlicet qu# fuit Odonis Capellani et IIIbus Theobaldi quondam clerici Ævremeri, de domo et terra Anchetti Waragnon[is] in Houetot, de molendino uno super Leisiam cum dimidia acra terr# et insula modica qu# eidem molendino proxima est. De tota terra Rogerii Calvi de Britivilla super Leisiam, et de dimidia acra quam dedit Rogerius filius Hersent, de tota terra Lovet, quam vendidit Lanfranco in Bilieto et Walmereto, cum parte #cclesi# qu# ad ipsum pertinebat ; de terra Hugonis, qu# est unius carruc#, et #cclesia Sanct# Mari# in Matrevilla ; de terra quam dedit Radulfus filius Herfredi in Badvent et terra unius carruce, quam vendidit Radulfus filius Herfredi in Badvent et terra unius carruce quam vendidit Radulfus filius Constantini in eodem, de XXti jugeribus terr#, qu# dedit Ascelinus de Abonetvilla in eodem, et de V. jugeribus terr# quam dedit Serlo Mariscallus in eodem, et de XII. jugeribus terr# quam dedit uxor Roberti Balistarii in

Siccavilla, de terra quam tenebat Hugo de Rosel in Grainvilla ; de his, inquam, predictis, de jure ecclesie Sancte Marie Baiocensis confirmo ista que hic determinantur, videlicet de omnibus in prefatis ecclesiis, domibus, terris, habitatoribus, omnium forisfacturarum de criminalibus peccatis vel non criminalibus prodeuntium peccuniam, et de ipsis omnibus habitatoribus de non criminalibus peccatis penitentie injunctionem. Concedo etiam, sicut concessit prefatus Odo, ut ex ipsis criminalibus peccatis, quandocunque in prefatis ecclesiis, domibus, terris audiri contigerint ab archidiacono Baiocensi, abbas vel prior predicti cenobii, non ipse super quo crimen auditum fuerit, moneatur, et ibidem ab utroque disposito termino congruo ac prefixo die, convenient monachus et archidiaconus, et in ipsa parochia, in qua crimen auditum fuerit, predictis presentibus inquiratur, inquisito discutiatur, et discusso, si inde judicium portandum prodierit, vel cognitio peccati patuerit, Baiocensis #cclesia, ut decet, requiratur, vel causa examinationis vel gratia consequende reconciliationis. De prefatis ecclesiis sinodoticum debitum et circatam et in Pentecoste processiones et alias ecclesiasticas consuetudines, et ut prescriptarum ecclesiarum clerici sic legitime statutis temporibus ad sinodum veniant, ne sub aliqua occasione ab eis peccunia requiratur. Confirmo etiam consuetudinem plaustrorum, qu# de Besatia ad Cadomum venalia ligna ferunt, postquam intra leugam predicti burgi intraverint ; censem et omnem consuetudinem omnium domorum, ad Baiocensis #cclesie# jus pertinentium, que in burgo monasterii sit# sunt ; duas partes decimorum de terris quas predictum cenobium habet in territorio Cadomi et Villarii, Villariensem ecclesiam et ecclesiam Sancti Nicholai. Quicunque vero de majori burgo, cuius sepulture ad jus episcopii Sancte Marie Baiocensis pertinent, in cimiterio prefati cenobii sepeliri petierit, liberrimam ex nostra concessione absque omni contradictione habeat potestatem. Si autem mortuum quis illuc transferre voluerit, qui vivens non requisierit, hoc concessit fieri, cum licentia tamen ministri sui. Pro qua ista traditione, ne quis eam successorum suorum quandoque valeat dissolvere, dedit proavus meus Willelmus, rex Angl[orum], Norm[annorum] et Cenom[annorum] princeps, in dedicatione ecclesie Sancte Marie Baiocensis perpetuo jure possidendam silvam, quam Elam vocant, pro salute quoque anim# su#, uxoris, parentum ac filiorum suorum. Confirmo etiam donationes et libertates quas fecerunt Sancto Stephano Willelmus, Gaufridus et Hugo, Rothomagenses archiepiscopi, et Gaufridus, Constantiensis episcopus, de ecclesiis qu# sunt in parrochiis eorum, #cclesiam scilicet Sancti Martini de Longo Campo, et #cclesiam de Clivilla cum capella de Alvimara, que ei subiacet, ecclesiam Balte et de Hultivilla et de Meltis. Confirmo et concedo commutationes, quas fecerunt Gislebertus abbas Cadomi et Gerento abbas Divionensis cenobii patronus, de terra quam habebat Sanctus Benignus in Normannia et de Curbeltalt, quam possidebat Sanctus Stephanus Cadomi in Burgundia, et in Amblia C. acras terr#, et in Pierrepont XXIII ; et in Broeio unum foedium et unum alodium. Concedo emptionem, quam fecit W. abbas a Johanne filio Conani, canonico Baiocensi, scilicet totam terram suam de Ceusio, que est de f#dio Sancti Stephani, pro XXIII. libris Andegavensium, et emptionem quam fecit W. abbas a Radulfo fratre Vitalis, scilicet VI. acras terre, quas tenebat in fedium de predicto sancto in Ceus, pro quibus faciebat serraturas portarum Ceusii pro C. solidis Cenomanensium. Concedo et confirmo donationes quas fecerunt barones Normannie Sancto Stephano de Cadomo, illam scilicet quam fecit Rogerus de Mungomerico de burgo de Truum cum silva de Algia, cum terris et lundis et omnibus ad ipsum burgum pertinentibus, exceptis molendinis et decimis, qu# jam aliis ecclesiis concesserat, et in memoria hujus donationis viam que extra burgum ducebat rex Willelmus per burgum ire concessit ; et donationem, quam fecit Robertus comes de Moretonio predict# abbati#, scilicet villam juris sui, quam Hultivillam vocant, cum colonis et conditionariis ac liberis hominibus, seu omnibus redditibus et consuetudinibus ad eam pertinentibus, presbiterum etiam cum tota terra sua, #cclesiam quoque cum decima ; et donationem, quam fecit Ricardus filius Turstini, vicecomes Abrincensis, Sancto Stephano, scilicet terram juris sui, quam habebat in Ruschivilla de foedio Turstini filii Ricardi, concedente ipso Turstino ; et donationem, quam fecit Rannulfus vicecomes Baiocensis Sancto Stephano, scilicet ecclesiam de Boiavilla cum aladio et omni decima ad eam pertinente, et totam terram quam in Britivilla Orgulosa habebat, cum parte ecclesie ad eam pertinente, cum colonis et liberis hominibus ad eam pertinentibus ; et donationem quam fecit Robertus Bertram, scilicet quicquid terre habebat in Britivilla Orgulosa, cum parte sue ecclesie, cum colonis et liberis hominibus et omnibus ad eam pertinentibus ; et donationem, quam fecit Eudo dapifer, scilicet totam partem que ad eum pertinebat, de villa cui Baltha nomen est, cum terris cultis et incultis, pratis, paschuis, decimis, molendinis, aquis et omnibus sui juris ad ipsam villam pertinentibus ; terram quoque de Hotot, cuius unam medietatem ipse habebat in suo dominio, alteram tenebat W. de foedio suo ; de silva vero, que in suo remansit dominio, hanc monachis et monachorum hominibus, in prefatis terris degentibus, consuetudinem concessit, pasturam videlicet et pastionem, porcis et reliquis animantibus eorum, ligna ad focos et domos faciendas seu reficiendas et ad omne eorum necesse et usum, tamen si ligna viridia excidi oportuerit, monachi seu homines petant licentiam a forestariis, quatinus ipsi eant et ubi competenter incidi possint ostendant. Quod si forte ire renuerint, seu dolo seu aliqua calliditate monstrare despexerint, tunc liceat monachis et eorum hominibus in silvam ire et ubi voluerint ad prefatos usus ligna incidere. Et donationem quam fecit Robert[us] de Moubrai, comes de Northumberlant, Sancto Stephano, scilicet quod habebat in territorio de Vileirs, que sunt in Alge juxta Boseval, in elemosina sine ullo servitio. Et donationem quam fecit Ingilrannus cum Agnete uxore sua de ecclesia, cum tota decima de villa quam vocant Alnetum, ab omni episcopali consuetudine quietam et liberam, et una acra terre, ubi possit grancia fieri ; dabit

autem chrisma ecclesia Alneti ecclesie de Bauche. Et donationem quam fecit Radulfus filius Ansere Sancto Stephano, scilicet LXXIII. acras alodii in territorio de Boseval, et quartam partem in duobus molendinis et octavam in tertio. Et donationem quam fecit Radulfus filius Herfredi Sancto Stephano, scilicet medietatem terre quam juxta Badventum habebat, sicut dividebat domus Normanni et crux que erat in bivio. Et donationem quam fecit Serlo de Lingevreio Sancto Stephano, scilicet ecclesiam de Buxedello cum tribus acris terre et dimidia, cum tota recta decima de dominio suo et villanis suis, cum tercia quoque parte decime de militibus suis jamdicte ville et de aliis parochianis qui ad ecclesiam conveniunt. Et donationem quam fecit Willelmus Goiz Sancto Stephano, scilicet terram quam tenebat Robertus medicus de illo in Starvilla et Columbeio. Et donum quod fecit Willelmus de Sola Sancto Stephano, scilicet totum hoc quod Hugo de Diva tenebat de eo in territorio Dive et Calvi Montis. Et libertatem quam concessit W[illelmus] comes Pontivi abbati Sancti Stephani et omni conventui, scilicet costumam suam et passagium de Alençon in elemosina imperpetuum quiete et libere. Concedo etiam et confirmo subscriptas emptiones et commutationes quas Lanfrancus, W[illelmus], Gislebertus, Eudo, Petrus, W[illelmus] abbates Sancti Stephani de Cadomo fecerunt. Emit Lanfrancus ab Hersenda et filiis ejus duo jugera terre non longe ab Olna fluvio, sub hac conditione ut liceat omni tempore ad reparandum alveum Ulduni terram proici supra terram quam ipsi habent juxta utrumque fluvium. Emit Lanfrancus ab Arturo sedem molendini de Becco cum alveo suo et ripis utriusque partis, quantum ad jus suum pertinebat. Emit Lanfrancus a Waleranno sex jugera prati non longe ab Olna fluvio. Emit Lanfrancus a Milone quicquid terre alveus Ulduni habet ab eo loco quo exit de veteri alveo, quantum ad jus suum pertinebat cum utrisque ripis. Emit Lanfrancus a Radulfo Cocherel duo jugera terr#, et in eadem terra concessit sibi domum liberam ab omnibus consuetudinibus que ad thelonarios pertinere solent. Commutavit Lanfrancus a Radulfo Taillebosc VIII. jugera terr#, que ipse habebat ante monasterium, et tantumdem dedit in territorio Villariensi. Emit Lanfrancus a Godefrido Coco V. jugera terre que sita erant inter culturas ecclesie. Emit Lanfrancus a Maingiso terram quam habebat in territorio Villariensi. Emit Lanfrancus a Rannulfo et fratre ejus hortum quem tenebat Walterius et mater ejus. Vendidit Lanfranco Godefridus pratarius duo jugera prati non longe a prato Ceusii. Emit Lanfrancus a Golda et filio ejus aream domus juxta Uldunum fluvium sitam cum pomerio et horto ad ipsam aream pertinentibus. Vendidit Lanfranco Godefridus presbiter aream domus juxta Uldunum fluvium sitam cum pomerio et horto ad ipsam aream pertinentibus. Vendidit Lanfranco W[illelmus] de Corcell[is] VI. jugera prati. Vendidit Lanfranco Durandus terram quam habebat juxta maceriam cimiterii et terram quam habebat infra macerias horti. Vendidit Lanfranco Albinus aream domus sue cum omnibus ad eam pertinentibus. Vendidit Lanfranco Goisfridus partem horti sui a ripa alvei que est juxta domum suam versus hortum monasterii. Emit Lanfrancus terram Rainardi in territorio Villarii sitam. Vendiderunt Lanfranco filii Milonis culturam inter duos Uldinos Venuncii sitam et hospitem unum in eodem territorio. Commutavit Lanfrancus Willelmo presbitero duo jugera terre pro terra sua, que duo jugera post mortem suam idem Willelmus Sancto Stephano habenda reliquit. Emit Willelmus abbas a Roberto Marmione, concedentibus ejusdem uxore ac liberis, molendinum super Leisiām fluvium cum medietate unius jugeri terr# ubi domus molendinarii posset fieri, ea conditione ne liceat molendinariis predicti Roberti consuetudinarios nostros subtrahere, nec nostro ipsius consuetudinarios auferre ; sponte ergo advenientes ubi voluerint molendi habebunt licentiam. Emit Willelmus ab Herluino partem insul# quam habebat juxta idem molendinum. Emit Willelmus a Morello reliquam ejusdem insul# partem. Emit Willelmus ab Hunredo mariscallo duo jugera prati juxta pratum quondam Waleranni. Emit Willelmus a Rogero Arundel unum jugerum prati et dimidium. Emit Willelmus terram Rodulfi Pitot in Badvento juxta terram Rodulfi filii Herfredi. Emit Willelmus a Sarlone de Curleio XII. jugera terr# in eodem Curleio. Emit Willelmus cellarium Rothomagi super Secanam situm, ab Osmundo et nepote ejus Hugone. Emit Willelmus ab Osmundo Aculeo, Ricardo et Rogero alodium quod habebant in Calvomonte supra Divam. Hujus terre L. jugera postea dedit Boselino in f#dio, recepta ab eo peccunia quam pro ipsa terra dederat, ea condicione ut post obitum Anserici presbiteri avunculi ipsius Boselini due partes decime ejusdem terre Sancto Stephano senper reddantur ; si vero maris sevitia oportuerit burgum mutari, super prefatam terram licebit abbatи transferre. Vendidit Rannulfus filius Ascelini Willelmo abbatи Sancti Stephani omnem terram sui juris intra ecclesiam et circa et quicquid ab eo ecclesia emerat in omnibus locis, tali conditione ut non liceat vel ipsi vel alicui suo heredi in rebus predictis aliquem quandoque clamorem facere. In hac venditione comprehensa est omnis terra quam habuerat, preter domum propriam et duo jugera prati et unum jugerum terre cum tribus virgis. Hec quidem omnia ita diffinivit et firmavit coram altare Sancti Stephani et coram abbatе et magna parte conventus, presente uxore sua, et presentibus liberis et concedentibus atque cum patre donantibus. Emit Willelmus ab Ernosto clericо de Billeio quicquid terr# habebat de foedio quondam Luponis in eodem Billeio. Emit Willelmus a Mainardo filio Durandi duo jugera terr# ultra montem et unum jugerum prati juxta ea que fuerunt Rannulfi filii Ascelini. Emit Willelmus tres virgas terre a

Willelmo filio Thedbaldi inter duos Uldones sitas, juxta hortum nostrum. Emit Willelmus a Girardo filio Brune in Alamannia XXX. jugera terr# cum V. virgis prati ; ceteram autem terram fili# su# reliquit, ea conditione ut, si legaliter non vixerit vel absque herede obierit, in dominium Sancti Stephani deveniat. Vendidit Lupus Lanfranco terram quam Bilieto et Walmereto habebat, cum parte ecclesie qu# ad eum pertinebat. Vendidit Lanfranco Gisla uxor Willelmi Patricii et filius ejus Willelmus V. jugera terrae in territorio Cadomi. Vendidit Lanfranco Rannulfus filius Ascelini IIIIor jugera terre, unde lapides extrahuntur ad opus monasterii. Emit Willelmus a Godefrido filio Wimundi de Icio unum jugerum terr#. Emit Willelmus a Durando filio Fulcheran IIIIor jugera terre et dimidium. Accepit Willelmus a Godefrido Malsaveir IIIIor jugera terre pro anima sua. Recuperavit Willelmus duo jugera prati quondam Odonis de Carpicheit, et alia duo jugera prati quondam Odonis Gobiani ; item duo jugera que tenuit Goisfridus Balistarius. Commutavit Willelmus ab Ansfrida uxore Roberti Doisnel unum jugerum terre de tribus jugeribus qu# erant infra viridiarium Sancti Stephani, pro terra qu# erat ante portam ejusdem Ansfride, reliquorum vero duum jugerum dedit unum Sancto Stephano vir ejusdem uxoris Robertus, et aliud tenuit filius ejus Philippus pro animabus suis. Accepit Willelmus super altare Sancti Stephani a Gaufrido Mariscallo donationem terre in qua monachi alveum Ulduni fecerant, et calumniam quam inde adversus monasterium habuerat omnino dimisit et super eandem terram ad reparandum alveum ire et redire et terram proici omni tempore concessit, propter quod rectitudinem de lignagio, quod Rannulfus filius Ascelini de eo tenere debuerat, jam dictus abbas ei concessit, ita ut Gaufridus de abbate et Rannulfus de Gaufrido teneret. Commutavit Willelmus a Rodulfo filio Durandi domum suam qu# occupata fuit ad officinas monasterii pro alia domo in Crapoldaria cum tali consuetudine, qualem habuit in priore domo, et X. libris. Emit Gislebertus abbas a Wimarc et filiis ejus V. virgas vinee XVI. libris. Emit Gislebertus a Butericu acram et dimidiad XX. libris, V. solidis minus. Emit Gislebertus a Lancelina et Frederico filio ejus IX. virgas XXX. libris. Emit Gislebertus a Malgero III. virgas XII. libris. Emit Gislebertus a Mahummeit et Arturo III. virgas et terciam partem unius virge XIII. libris et X. solidis. Emit Gislebertus a Rannulfo clericu, filio Serede, III. virgas XII. libris et X. solidis. Emit Gislebertus a Gaufrido et Fulchone filio ejus acram et dimidiad XXX. libris. Emit Gislebertus ab Ansgoto, genero Planeti, III. virgas XV. libris. Emit Gislebertus a Rodulpho, filio Roberti, V. virgas XV. libris. Emit Gislebertus abbas a Rainaldo de Oireval CCL. libris totam partem quam habebat in manerio Balthe, liberam, solidam et quietam cum universis qu# ad eam pertinent. Godefridus de Veedeues vendidit Sancto Stephano VI. acras terre in Alemannia. Robertus de Belfou concessit Sancto Stephano, in elemosinam, totam terram quam Hugo de Diva tenebat de illo apud Divam et circa Divam, ut eam sanctus habeat in perpetuum solidam et quietam. Rogerius de Ivreio reddidit Sancto Stephano totam terram quam Hugo, avunculus ejus, tenuerat in Ceusio, sicut eam Hugo habebat, ea die qua mortuus fuit, pro qua redditione dedit ei abbas XIII. marcas argenti et V. solidos. Anfridus de Polceio vendidit Sancto Stephano XX. acras terre ad perticam de XX. pedibus in Alge. Gislebertus abbas emit ab Hunfredo Torto III. virgatas vinee in Modol IX. libris Cenomannensium. Willelmus Bacun dedit Sancto Stephano illam partem quam habebat in ecclesiis de Setvans et XX. acras terre, sitas in circuitu ecclesie Sancti Laurentii. Osmundus Froulant, homo ejusdem Willelmi, dedit Sancto Stephano V. acras terre. Robertus de Toriwasth dedit Sancto Stephano in elemosinam partem quam habebat in ecclesiis de Setvans cum decimis, et unam mansuram terr# qu# vocatur Viana, liberam et quietam. Anchitillus de Usseio dedit Sancto Stephano terram de Locellis, quam Grento de illo tenebat, ob hoc scilicet ut frater esset loci et post mortem suam sepeliretur in cimiterio Sancti Stephani, quo defuncto et in cimiterio sancti sepulco, Ricardus filius ejus concessit donationem, quam pater suus fecerat de predicta terra, et posuit super altare. Ricardus de Meltiz concessit Sancto Stephano venditionem, quam fecerat pater ipsius de decima totius parrochi# et ecclesiam ejusdem ville. Gislebertus filius Fabri vendidit Sancto Stephano III. virgas vinee sitas in Modol. Hugo de Rovres dedit Sancto Stephano totam terram et pratum, que sunt inter domum Sancti Stephani de Modol et rivum ibidem recurrentem, excepto illo tantillo ubi pressorium ipsius est, et terram Walterii hominis sui, et dangerium et pressoragium de tribus virgatis vine# dedit eidem sancto Fulcheredus qui accepit uxorem filiam Willelmi filii Arturi, devenit homo ligis Gisleberti abbatis, accepitque in foedium ab eodem abbe domum ipsius Willelmi filii Arturi. Petrus filius Godefridi Infantis de Fonteneto vendidit Sancto Stephano pro X. libris Rothomagensium duas partes decim# de toto dominio W[illelmi] Paganelli, duas quoque partes decim# IIIIor vavassorum suorum, Rogerii scilicet Flambart, et Willelmi vitrici ipsius Petri, de mansura dotis matris ejusdem Petri et mansure Bolonii et Godefridi filii Petri, duas quoque acras terr# in territorio Fontaneti juxta granciam Sancti Stephani, convenitque quod hanc venditionem concedere faceret omnes heredes suos, et si qua inde calumnia moveretur, totum hoc adquietaret, et duas acras terre adquietaret Sancto Stephano usquedum W[illelmus] Paganellus ipsam venditionem concederet, quod et fecit. Emit Gislebertus abbas ab Arnulfo Falconario tres acras terr# sitas in territorio de Salinellis, concedente Willelmo filio ipsius ; convenit autem quod hoc ipsum concedere faceret dominum suum, et quod ipsam terram bene semper manuteneret contra omnes homines ad opus Sancti Stephani. Robertus de Pointel dedit in elemosinam Sancto Stephano, concedente uxore sua et filiis, totum quod habebat in ecclesia de Siccavilla, et unam domum et unam acram terre in eadem villa. Hugo de Diva et Boselinus, frater ejus, dederunt Sancto Stephano, in territorio de Modol, IIII. acras et dimidiad vine#, solutas et quietas ab omnibus consuetudinibus, excepta tercia parte decim#. Debet etiam idem Hugo vel suus heres per singulos annos reddere monachis, tempore

vindemie, VI. modios vini. Pro his vero ante W[illelmum] regem dedimus ei in excambio terram quam habet a nobis apud Divam. Gauterius Beneventanus dedit Sancto Stephano, quando ad monachatum receptus est, III. virgas vinee, solutas ab omni consuetudine, preter decimam et VI. denarios. Emit Gislebertus abbas duas virgatas vine# juxta eandem vineam a Simone nepote ejusdem Walterii similiter quietas, preter decimam et IIIIor denarios. Gislebertus cognominatus Filius Episcopi dedit Sancto Stephano pressoragium et decimam de toto vino quod premitur in torculari nostro, et omne dangerium et consuetudines quas habebat in vineis Sancti Stephani, qu# erant in terra sua, excepta recta comparatione earumdem vinearum et decima de toto vino quod non premitur in torculari nostro. Willelmus filius Gozonis vendidit Gisleberto abbati decimam et comparationem et omnes consuetudines de tribus virgatis vine#, quam ante habebamus. Robertus filius Walchelini de Argentiis dedit Deo et Sancto Stephano de suo proprio patrimonio V. acras terre una virgata minus et duas acras vinee, ut ad ordinem monachi reciparetur, et receptus est. Robertus filius Bernart incendit IIIIor domus Sancti Stephani et unum torcular cum omnibus vinariis, quorum magna copia erat apud Modol in tempore vindemiarum, et sic cum predicto dampno fuit aliud magnum dampnum, de vino scilicet necnon et de caballis, de bobus et de aliis pluribus rebus, pro quibus dampnis dedit ipse Robertus XL. solidos Cenomannensium et decimam de Moem juxta Ceus et omnes illas consuetudines et vadimonia et emptiones atque elemosinas quas ipsi monachi tenebant ad Modol de Hugone de Rovres et de Emma uxore sua. Rogerius de Rosel vendidit Gisleberto abbati, concedente Norm[annorum] comite, pro XV. libris Cenomannensium, alodium suum totum quod habebat in Rosel, tali conditione ut eum (sic) de sancto teneret per tale servitium quale ante ex eo comiti reddebat, concedente Roberto filio suo. Ricardus filius Godescal de Alemannia cum fratre suo dedit Sancto Stephano in elemosinam IIIIor acras terre quam habebat in marisco, et medietatem suorum pratorum in eodem marisco. Tustinus de Condé dedit Sancto Stephano terram de Cantepie pro anima sua ; hanc donationem concesserunt filii ejus Rannulfus et Hugo, et posuerunt super altare. Gislebertus abbas concessit in foedium Rannulfo filio Erfast totum quicquid pater et mater ipsius Rannulfi habuerunt in Venuncio ; ipse vero ob hoc devenit homo ligis (sic) ejusdem abbatis et XXX. libras dedit ei ; concessit etiam idem Rannulfus venditionem quam mater ipsius fecerat de rustico de Valceolis et donationem terr# sit# in territorio Cadomi, quam eadem mater ejus fecerat. Et concordiam confirmo factam inter utrasque abbatias Cadomi de parrochianis Sancti Nicholai et Sancti Martini et Sancti Stephani Veteris et de ecclesia Sancti Michaelis, sicut scripta illorum testantur ; et concordiam factam inter abbatem Gislebertum et Bendengel de terra de Clivilia. Emit Eudo abbas a Willelmo de Capella molendinum de Drocion juxta Divam XLIII. libris, quod molendinum recognitum fuit in presentia regis esse de f#dio regis Henrici. Emit Eudo a Durando Malopacto de Bathvent, filii suis concedentibus, XX. acras terre in uno campo qui vocatur cultura Fulthberti ; et postea dedit idem in elemosina Sancto Stephano IIIIor acras terre ad caput prefat# culture. W[illelmus] comes Ebroicensis et uxor ejus dederunt Sancto Stephano in Badvent II. acras terre, pro salute animarum suarum, sitas ante portam domus nostre, et concesserunt in nemore Badventi dominio obedientie nostre clausuram, ignem, pasturam, qu# tamen omnia a tempore W[illelmi] regis ipsa ob#dientia habuerat ; hanc donationem et concessionem per quandam ramum prefato abbatи tradiderunt et concesserunt #ternaliter habendam. Herbertus de Brivilla dedit Sancto Stephano V. acras terre et dimidiad in valle de Irevilla, concedente Roberto domino suo ; et Rannulfus et W. filius ejus dederunt in Badvent II. acras optime terre. Emit Eudo in eodem Badvento a Radulfo filio Popeline et a Rogero filio ejus II. acras terre que vocatur Vicus Monachi. Emit Eudo a filiis Gisleberti Molarii unam mansuram terre, quam habebant super Olnam, LX. solidis ; pro concessione hujus venditionis habuerunt tres filii Rogerii filii Hersendis, quia mansura illa inter terras illorum erat, Hugo primogenitus unum equum, reliqui duo unusquisque fustanium unum. W. filius Thedbout, sua sibi penitus deficiente substantia, dedit tali tenore Sancto Stephano terram quam habebat de supra Sanctum Nicholaum, et dimidiad acram prati et quicquid terr# in Francavilla habebat, ut, quamdiu viveret, victum suum de ecclesia haberet, et in fine vite sue monachus fieret, quod et factum fuit. Emit Eudo a Radulfo filio Anschitilli de Icio VII. acras terr#. Filii Thegrin, Radulfus videlicet et Wiguen et alii duo, vendiderunt Eudoni abbatи quicquid jure hereditario ad Thrum de fedio Sancti Stephani habebant, domum scilicet quam postea habuit Gislebertus de Wimonasterio, et unum bordellum et V. acras terre arabilis in uno campo. Robertus filius Mabile et fratres ejus vendiderunt Eudoni unum campum quem habebant inter duos campos Sancti Stephani in via qua itur ad Thrum de Baisseria in sinistra parte vi#. W. Pincerna de Albigneio dedit Sancto Stephano quicquid in Stavell[is] jure hereditario ab ipso sancto tenebat ; hanc autem donationem idem W. jam antea in castello Cadomi, in presentia regis et baronum ejus, eidem sancto fecerat, quando abbas et monachi obedientiam de Moritonio reddiderunt domino Vitali heremite, quam ab eodem Vitale heremita habuerant, nulla tamen necessitate coacti, immo vero ejus inopie et paupertati compassi. Emit Eudo in Starvilla L. acras terre, liberas, solutas et quietas ab omni servitio et auxilio, a duabus fratribus, Adelulfo videlicet et Alanno, XXX. libris Rothomagensium et X. solidis, de quibus Adelulfus

primogenitus habuit XII. libras et unum equum XX. solidorum ; filii ipsius, W. videlicet et Osmundus, habuerunt pro concessione, unus XX. solidos et alter unum (sic) clamidem, mater vero ipsorum II. sext[arios] ordei ; Alannus autem XV. libras, Thomas filius ejus pro concessione unum equum XX. solidorum, mater ipsius X. solidos et II. sext[arios] frumenti et unum ordei ; Willelmus autem Bacon, de cuius foedio hec ipsa terra erat, pro concessione et ut ipsa terra Sancto Stephano libera, soluta et quieta remaneret, ut ab ipso vel ab illis qui eam vendiderant, sive a successoribus eorum, nunquam deinceps in futuro tempore servitium aliquod vel auxilium requireretur, recepit a prefato abbatte XVI. libras, XI. libras in lorica qu# fuit Roberti de Tresgoz, C. solidos in denariis ; Rogerus filius ejus habuit pro eadem concessione XL. solidos pro uno palefrido. Robertus de Tresgoz habitum monachilem in monasterio Sancti Stephani suscipiens, dedit apud Sanctam Crucem eidem sancto unum vavassorium XX. acraru[m] terr# et partem illam quam habebat in eadem #cclesia cum recta decima totius terre quam habebat in eadem villa. Robertus de Agnis dedit Sancto Stephano unam culturam IX. acraru[m] in territorio Sancti Contesti, concedentibus filiis suis, pro excambiatione decime quam pater ejus dederat predicto sancto in Burun. Gaufridus filius Hadvis et Nigellus frater ejus dederunt Sancto Stephano pro salute animarum suarum II. acras terr# sitas in territorio Baiocensi. Emit Eudo in Loucellis III. acras optim# terr# ad faciendam granciam LX. solidis a Hugone de Fai. Homines de Sicavilla recepti in societate monasterii Sancti Stephani dederunt eidem sancto duas partes decimaru[m] suarum ; hujus autem vill# #cclesiam, quam Sanctus Stephanus antiquitus in magna pace tenuerat, Herbertus quidam clericus ei modis quibusunque poterat auferre querens, abbatem et monachos inde diu fortiter vexavit ; quorum vexationi Henricus rex finem imponere decernens, utrisque ante se in castello Cadomi diem constituit placitandi. Die igitur constituto, abbas et monachi cum omnibus, qu# eis neccessaria erant, ipsi regi et justici# suum placitum obtulerunt. Heriberto autem ibi in audiencia regis et totius justici# necnon et baronum deficiente, de prefata ecclesia ipsius regis et justicie judicio Sanctus Stephanus saisisitus remansit, nemini deinceps amplius inde responsurus. Rogerius filius Petri de Fontaneto in presentia totius justici# reddidit Sancto Stephano terram illam et omnes decimas, quas ipse sanctus a Godefrido avo illius et a patre suo habuerat, easque eidem sancto deinceps firmiter imperpetuum tenendas concessit. Dedit Robertus de Meltiz Sancto Stephano ecclesiam scilicet Sancti Hylarii, que est sita in villa Meltiz, cum IX. acris terre, quod est alodium ejus, cum decimis, oblationibus, sepulturis, et omnibus que ad ejusdem ecclesie jus pertinent. Dedit etiam de aldio suo in eadem villa LX. acras terre, quarum XXX. ex una sunt parte vi#, alia (sic) XXX. ex altera. Dedit etiam monachis et eorum hominibus omnem pasturam, quam in prefata villa habebat, habere communem. Habet autem ecclesia de Meltiz medietatem sepulture ecclesie de Donvilla, quoniam in ipsius cimiterio sepeliuntur omnes parochiani #cclesi# de Donvilla. Concessit etiam predictus Rob[ertus] ut liceret suis melioribus hominibus usque ad X. acras de suis terris quas de eo tenebant prefato cenobio dare, minoribus vero unam tantummodo. Ista sunt membra que ad prefatam ecclesiam Sancti Hylarii pertinent: Rainaltmaisnil, Tusteinmaisnil, Malepalu, Warinmaisnil, Rotorium, Widilinus. — Hubertus filius Serlonis dedit Sancto Stephano capitalem domum suam et aliam juxta illam que erat duarum stationum in Catehola, ea conditione habita quod uxor sua Gisla et heredes ejus haberent easdem domos a monachis per annum pro X. solidis ; et preter hoc dedit terram illam qu# est inter predictas domos et murum usque ad quarriam. Concedo concordiam abbatis et Ricardi filii Eddiz factam apud Lunden[iam]. Concedo concordiam factam inter monachos Sancti Stephani et ministros regis de terra de Brideport et de Bridetona.

Hec omnia prescripta predict# #cclesi# Sancti Stephani et monachis ibidem Deo servientibus concedo et confirmo habenda et tenenda in perpetuam elemosinam, ita libere et quiete, sicut carte regis W[illelmi] et regis Henrici, avi mei, eis confirming et testantur, et quecumque hic prescripta sunt, qu# rationabiliter adquisiverunt et que eis rationabiliter data sunt temporibus antecessorum meorum et meo.

Testibus : Rothroco Ebroicensi episcopo, justic[iario] Norm[annie], Philippo Baiocensi episcopo, Arnulfo Lexoviensi episcopo, Thoma cancellario, Gaufrido Ridello, Gaufrido capellano, Willelmo filio Martini, Ricardo de Hum[etis], Manasseir Biseit, Willelmo Filio Johannis, Godart de Vaus, Jordan Taixun, Ricardo de Haia.

Apud Cadomum.